Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36520
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Vltima carnificina dehinc.
Non laceratio uulnifica. s. fuit.
Cratetenus nec arata cutis. s. fuit.
Flamma sed undiq; lampadibus.
Inlacerata stomachūq; furit.
Crinis odorus & in iugulos.
Fluxerat inuolitans homeros.
Quo pudibunda pudicitia
Virgineusq; lateret honos.
Tegmine uerticis obposito.
Flamma crepans uolat in faciem.
Perq; comas uegetata caput
Occupat. exuperatq; apicem.
Virgo citum cupiens obitum.
Appetit & bibit ore rogum.
Emicat inde columba repens.
Martyris os niue candidior.
Yisa relinquere. & astra sequi.
Sp̄s hic erat eulalie
Lacteolus. celer. innocuus.
Colla fluunt abeunte anima.
Et rogus igneus emoritur.
Pax datur artubus exanimis.
Flatus in ethere plaudit ouans.
Templaq; celsa petit uolucer.
Vidit & ipse satelles auem.
Femine ab ore meare palam.
Obstupefactus & attonitus
Prosilit. & sua gesta fugit.
Lictor & ipse fugit pauidus.
Ecce niuem glacialis hiemps
Ingerit. & tegit omne forum
Membra tegit simul eulalie.
Axe iacentia sub gelido.
Pallioli uice linteoli.
Cedat amor lacrimantiū hominū.
Qui celebrare suprema solent.
Flebile cedat & officium.
Ipsa elementa iubente dō
Exequias tibi uirgo ferunt.
Nunc locus emerita est ~~uirgo~~ tumulo
Clara colonia uetonie.
Quā morabilis amnis ana
Preterit. & uiridante rapax
Gurgite. menia pulchra lauit.
Hic ubi marmore pspicuo
Atria luminat alta nitor.
Et peregrinus & indigena.
Relliquias cineresq; sacros
Seruat humus ueneranda sinu.
Tecta corusca sup rutilant.
De laquearibus aureolis.
Saxaq; celsa solum uariant
Floribus ut rorulenta putes
Prata rubescere multimodis;
Carpite purpureas uiolas.
Sanguineosq; crocos metite.
Non caret his genialis hiemps.
Laxat & arua tepens glacies.
Floribus ut cumulet calathos.
Ista comantibus efoliis
Munera. uirgo puerq; date.
Ast ego serta choro in medio.
Texta feram pede dactilico.